



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 56. Universitatis Tolosanæ epistola comdemnatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](#)

no defendebat, quantum poterat, Bene-  
dicti causam, laudibus extollens super <sup>Sæcul. XV.</sup> A. C. 1406.  
omnia suscepsum ab eo consilium Ro-  
mæ cum Innocentio colloquendi: deni-  
que hortabatur præsentes omnes, ut Be-  
nedito firmiter adhærerent, si vellent  
cernere finitum schisma. Postea sur-  
gens loco Rectoris, qui aderat, Doctor  
Joannes cognomento Parvus pro Univer-  
sitate dicendi copiam petebat a Princi-  
pibus: quam tum quidem denegatam  
diutius instanti promittebant in decimam  
septimam Maji. Ea die Joannes expo-  
sito facto toto concludebat statutam <sup>Sup. §. 19.</sup>  
octo abhinc annos Benedicto parendi  
detrectationem observandam esse, dam-  
nandam Tolosanæ Universitatis episto-  
lam, Ecclesiamque Gallicam exactioni-  
bus Romanæ Curiæ liberandam. Pun-  
ctum postremum maxime angebat Bene-  
dicti fautores. Principes eorum solici-  
tationibus fatigati, occupatique insuper  
regni negotiis rejecerunt causam ad se-  
natum nonis Junii habendum.

### §. LVI.

*Universitatis Tolosanæ epistola con-  
demnatur.*

Joannes Plaulius Theologiæ Professor  
Parisinæ Universitatis nomine loquens  
*Hist. Eccles. Tom. XXIV.* Pp im-

**Sæcul. XV.**  
A.C. 1406.

**Labour.**  
**p. 544.**

impugnavit epistolam Universitatis Tolosanæ, quæ recusationem obedientiæ vocabat noxam, pro certo ponens Benedictum esse Papam legitimum, minime que dubium. Inferebat, de illius audacia ut criminosa judicium faciendum, ac epistolam damnandam esse ut rem exempli perniciosi. Deinde Doctor Joannes Parvus memorabat, quomodo ad detractionem gerendi moris ventum esset: & addebat, ejus revocandæ animum non habuisse Galliam; atque si ad tempus ab ea decessisset, id esse factum certis conditionibus, quas Benedictus haud observasset. Exaggerabat admodum pensiones, quibus Benedictus Clerum opprimeret, ac eas colligentium asperitatem, poscebatque, ut Ecclesia Gallica iis liberaretur.

**p. 546. Ms. f.**  
234.  
**J. Juven.**  
**p. 179.**

Postero die 6 Junii Joannes Juvenalis Ursinus Regis Advocatus Tolosanæ Universitatis epistolam vocabat ridiculam, impotentium animorum indicem, ac in Regem injuriosam. Postulabat, ut laceraretur in loco, ubi esset composita; & ut authores ejus punirentur tanquam rei læsæ majestatis. Petebat postea, ut obedientiæ recusatio continuaretur. Denique a Benedicto imperatas Clero pecunias improbabat, præsertim decimas; contendens debitas non esse, sed subdium voluntarium, neque collendum sine

sine permisso Regis. Primum de Tolo-  
fana epistola 17. Julii lata fuit sententia, A.C. 1406.  
ut Avenione, ac Tolosæ palam concerpe-  
retur: epistolæ authores insectandi fa-  
cultas Procuratori generali reservata est. <sup>Bourg.</sup>  
<sup>Prouv. p.</sup> <sup>240.</sup>

Igitur, qui cum illa venerant, & Car-  
dinalis Challandinus velociter se submo-  
verunt.

Die sabbati 7 Augusti denegata Be-  
nedito obedientia, quatenus ad æra-  
rium pertinebat, vetitumque, nequa pe-  
cuniæ summa extra regnum asportare-  
tur. Undecimo Septembris editum co-  
mitiale decretum hujusmodi: Benedi- <sup>Id. p. 86. 92.</sup>  
ctus ac Ministri ejus toto in regno desi-  
nent exigere annatas, seu primos fru-  
ctus annuos beneficiorum vacantium, &  
jura procreationis; exigent vero Prä-  
fules, & Archidiaconi, dum illa ob-  
ibunt. Cardinales, & Collegii Came-  
rarius itidem cessabunt capere partem  
annatarum, usurarumque, ac reliquo-  
rum jurium: atque siquid inde percepe-  
rint, in id regia injicietur manus. Qui  
ob memorata præscripti fuerint, absolvantur.  
Hæc fient, donec aliud de iis  
Aula sanxerit.